

## 248 EXERCITATIO XXXVI.

10. Ad claros verò ac distinctos conceptus animo formandos non modò explanationes positivæ negativis, verùm etiam propriæ & speciales communibus & generalibus magis juvant, quemadmodum ex cap. v. Logicæ nostræ, pressè sic dictæ seu partis primæ liquere potest.

11. Ut igitur paulò clariùs ac distinctiùs, magisque positivè & expressè percipiamus, in quo consistat Simplicitas divina, illa inquam simplicitas, quæ inter absoluta & incommunicabilia Dei attributa referri solet, nova instituenda est disquisitio.

## EXERCITATIO XXXVI.

*Simplicitas Dei est omnium ejus perfectionum  
individua unitas.*

I. **P**rimò considerandum est, quòd humanus intellectus *in Deo* percipiendo multa attendat ac distinguat attributa v.g. æternitatem, independentiam, immutabilitatem, sapientiam, potentiam, voluntatem &c. Cùm enim *in cunctis aliis rebus*, quibus pauciores attributæ sunt perfectiones, rectè percipiendis multa consideremus, dubium esse nequit, quin longè plura  
in